
EPISTOLA PASTORALIS

A D

CLERUM, ET POPULUM ECCLESIÆ MANTUANÆ.



MANTUÆ, MDCCLXX.

Typis Hæredis Alberti Pazzoni, Regio-Ducalis Typographi.



JOANNES BAPTISTA
S. R. I. COMES DE PERGEN
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

SANCTÆ CATHEDRALIS ECCLESIÆ MANTUANÆ

EPISCOPUS

SANCTÆ CATHEDRALIS ECCLESIÆ OLOMUCENSIS

CANONICUS CAPITULARIS.

Venerabilibus Fratribus, & Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis ejusdem Sanctæ Mantuanæ Ecclesiæ Parochis, utrique Clero, Sanctimonialibus, universoque Populo Civitatis, ac Diœcesis Mantuanæ,

SALUTEM IN DOMINO.



Emo ex Christi Fidelibus dubitavit unquam Episcopos esse eos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, sive, ut ait Tridentina Synodus, Episcopos successores esse Apostolorum, quos una cum Prophetis fundamentum novimus, super quod superædificati sunt Cives Sanctorum, & Domestici Dei ipso summo angulari Lapide Christo Jesu. Quapropter meritò utique eam partem Ecclesiastici regiminis, in cujus sollicitudinem à Summo Sacerdote Ecclesiasticæ Hierarchiæ Quivis ex illis designatus exi-

ſtit, adeò ſibi Cordi habeat neceſſe eſt, ut nil altius ſibi mente repoſitum ſciat; idque ita eſſe, omnibus præcipuè verò Ovibus ſibi à Deo concreditis palam demonſtret.

Non novum igitur, nec temerarium in me reperietis Vos omnes quotquot de Ovili meo eſſe volueritis, ſi quod Conſcientiæ meæ adeò ſeriò impoſitum eſſe audiſtis, hilari, promptoque animo hàc meà Encyclicà, ſivè Paſtorali Epiſtola pro viribus conteſtari aggredior; Non enim aliundè, quam per Portam vocationis ut Aaron in hoc Ovile me intràſſe ſuſpicabimini utiquè, dùm licèt abſque ullis meis meritis, omni tamen eò ſuffultum Titulò, me Vobis palàm ſiſto, quo, & vobis, & mihi ſperare licet, non alienà hominis nequam, ſed Dei voluntate me eſſe, quem me eſſe dico, Epiſcopum videlicet Veſtrum, & Paſtorem in his, quæ Fidem, moreſque Animarum veſtrarum ſpectant.

Eſtote ergò fortes in Fide; in Fide inquàm Chriſti Jeſu, in quà nati eſtis, Romana videlicèt, Chriſtiana, Catholica, Apoſtolica: Fortes dico in ea eſtote, non quidèm quia in eà nati eſtis, ſed quia eam Ipſe, Deus verax vobis revelare dignatus eſt, imò eam Vobis evidentèr credibilem, proindèque, ſi eidem placere vultis, indiſpenſabilitèr credendam proponit per infallibilem in Dogmate, ac moribus Eccleſiam, Sponſamque ſuam, lucernam illam in Monte poſitam, præ cæteris omnibus ſplendentem, atque viſibilem; Viſibilem inquam in eò ſaltem quod ea ſola una ſit in unitate Univerſalis Primatis, ſive Summi Pontificis, Succeſſoris D. Petri, Vicarii in Terris Chriſti Jeſu; Sola Sancta in Sanctitate Doctrinæ, & Legis, eorumque omnium, quos innumeros in hanc

uſ-

usque diem Sanctos, Beatosque progenerat; Sola Catholica in immutabili uniformitate omnium, quæ per Universum Orbem proponit credendorum Fidei Articulorum; Tùm tamdèm sola Apostolica in continua ab Apostolorum Principe in hodiernam diem Romanorum Episcoporum Successione.

Hanc igitùr tanquàm unicè veram, unicè salvificam Fidem cautè custodire, firmitèrque ad mortem usque tenere vos præprimis admonitos cupio; nihil abindè dementes, nihil eidem addentes; nec eam fors ab iis mensurantes, quæ solam externam disciplinam spectare dignoscuntur; hæc enim quemadmodum pro communi indigentià quovis tempore mutationi obnoxia esse constat, ità nihil commune habere possunt cum Fide, de quâ loquor vestrâ, utpotè quæ Fides est Ecclesiæ Dei, quam super vivâ Petrâ Christi Jesu fundatam, ac proindè immutabilem esse novimus, cuique, Teste Deo, quocumque etiam procellæ tempore firmitèr persistere datum est, adeò quidem, ut nec ipsæ portæ Inferi eidem prævalituræ sint, nèc contra eam unquàm prævalere valeant.

Si verò vos firmos cupio in Fide, quæ Sperandarum est substantia rerum, non debiliores sanè vos esse rogo in eâ, quâ Spe vivimus in Deum Patrem misericordem, fidelem, ac potentem, per infinita merita Jesu Christi Salvatoris nostri; Hæc enim est fiducia illa, quæ non confundit, cuique innititur patientiæ Virtus, quæ nobis adeò necessaria est, ut reportemus promissionem vitæ Æternæ; nec vos abindè fors abstrahat terror Conscientiæ vestræ; tanta enim est ejusdem misericordia, tantaque apud Eum redemptio, ut omnibus jubeat dici in nationibus, quod nullus unquàm speravit in Eum, & confusus est; quæ quidèm omnia

non

non propterea dicta esse volo, ut liberiùs peccare possitis, sed ut in peccata quæcumque prolapsi illicò animum vestrum in Deum Patrem erigatis, recordantes apud eum Advocatum habere Christum Jesum, qui intercedat pro vobis, nolens mortem peccatoris, sed ut magis convertàtur, & vivat.

Firmatis autem jam iterùm, iterùmque mox dictis præcipuarum Virtutum fundamentis, non erit utiquè, quod vos alliciam ad amandum Eum, quem Deum verum, summèque veracem, fidelem, potentem, ac misericordem audistis, verbo ad amandum Eum, quem Summum Bonum Cæli, & Terræ esse creditis; diligite Eum itàque, vel saltem petite, & desiderate Eum diligere super omnia ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ mente vestrâ, non solùm autèm linguâ, verùm & opere; adimplentes nimirùm Legem Ejus, pietatemque colentes, quæ ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ; utentes quidem hoc Sæculo, sed tanquam non utentes, præterit enim figura hujus Mundi; diligentes Eum quoque in proximis vestris, amicis, sivè inimicis, orantes pro se invicem, multum enim apud Deum valet Oratio Justi assidua; neminem offendentes, aut judicantes, aut vituperantes, sed alter alterius onera portantes, honorem dantes, cui honorem, tributum, cui tributum, obedientes Præpositis vestris, Deumque sine intermissione implorantes, ut quos vobis misericors Deus dedit piissimos Principes, qui vos pro Eorum Supremâ Legislativâ Potestate in pace, & tranquillitate publicâ, tantâ Religione, ac Clementia rectè gubernant, Eosdem vobis, ac generationibus vestris in ævum tales conservet; quemadmodum paritèr Deum continuò orantes, ut Quibus Animas, moresque Ani-

ma-

marum vestrarum considere dignatus est, in spiritu, & veritate ità proficiant, ut rectè vos doceant, & instruant, adeò, ut non modò neminem ex vobis perdant, ac seducant, verùm quotquot Illis consignati estis, tot in die illa villicationis salvos, & innocuos Salvatori Nostro Jesu Christo pro æterna vobis impertienda gloria, coronaque Justitiæ intrepidè parati sint reddere.

Hæc dum vos omnes æqualitèr tangunt Oves meæ, quæ vocem meam audire vultis, pauculùm modo ad Vos specialiter me converto, Insigne hujus Cathedralis Capitulum, cæterosque omnes, qui de utriusque Sexûs Clero estis, sive Seculari, sive Regulari, de Regali Sacerdotio, de Populo electo Dei, præcipuè qui ad colendam Vineam Domini, Curam nempè animarum præcætèris selecti, ac vocati estis; Ad Vos igitùr Corona mea, Gaudium meum, verba mea nunc dirigo; commonens Unumquemque Vestrum, ut sedulò reflectatis, quod quemadmodùm plùs aliis talentorum accepistis, ità, & major de his ratio à Vobis in illa die exposcetur, ubi à Deo ipso judicabimini, qui non irridetur, qui novit corda vestra, Quique non est personarum acceptator.

Satagite igitùr, ut certam vestram Vocationem faciatis in castitate, paupertate, & obedientia, in charitate, & humilitate, in mansuetudine, & lenitate spiritûs, sine æmulatione, sive Cephæ quis fuerit, sivè Pauli, sed in uno, eodemque spiritu ambulantes, scientes omnes nos membra esse Unius Corporis Jesu Christi.

Cavete maximè à scandalis pusillorum vestrorum confortati in Verbo Dei, Qui dum signum dilectionis vestræ in Ovibus suis rectè pascendis reponit, vicissim vobis pignus præbet irrevocabile dilectionis suæ; qui enim diligit Deum diligetur ab eo.

Otium

Otium fugite, Vineam Domini indefesse colentes, hilarique animo dantes, & agentes quidcumque Cura hæc vestra in bonum proximi vestri, in quo semper Deum conspicitis, ac colitis, exigere unquàm poterit, sivè de die, sivè de nocte, tùm in fractione panis, quod idem est, ac fideli expositione Verbi Dei per sanas Conciones, ac Cathechismos, sive Cristianas Doctrinas tùm in veræ pietatis, bonorumque morum exemplo, tùm in conciliando frequenti Pænitentiæ, ac Eucharistiæ Sacramentorum usu, tùm in rectâ, populoque vestro commodâ horarum distributione in iis, quæ Officium Divinum, maximè vero Missas, ac Verbum Dei audiendum spectant, tùm in indefessa Infirmorum, ac præcipuè Moribundorum discretâ assistentiâ, tandemque in assidua, eâque mansueta, ac suavi pœnitentium excipienda Confessione, aliorumque Sacramentorum decenti administratione.

Verbo dicam: Sint lumbi vestri castitate præcincti, & opera vestra præ bonitate luceant, tamquàm lucernæ ardentes in manibus vestris; neutrum porrò à vobis pro honestate tantùm hujus mundi fiat, aut præmio, minùs, ut ab hominibus videamini, sed ad utrumque amore Dei properate pro pondere, & mensura status vestri certâ spe æternæ remunerationis, cupientes, ut omnes, qui vident opera vestra bona in terris, unà vobiscum glorificent Patrem vestrum qui in Cælis est, Deum verum unum, & trinum, Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum, qui Vos benedicat, & custodiat. Amen.

Datum Mantuæ ex Episcopali nostro Palatio die 13. Maji 1770.